237

ſed in ſūmo ſolio· Vis autem ſcire quō ali=
quid altius ſedeat in corde tuo q̄m deus·
Quidquid homo magis in corde amat hoc
in corde ſuo ſedet altius· Si homo res ma
gis amat ꝙ̄ dominum in corde res altius
ſedent ꝙ̄ dominus· Si hominē magis ho
mo· Si ſeipſum magis amat ipe in ſeipſo
altius ſedet ꝙ̄ deus· Tunc autem deus ſe=
det ſuper ſolium excelſum et eleuatum in
corde quando ſuper omnia amatur· Peni=
tentia vera ſic ordinat ſedilia in corde· ¶
C ¶ Primo in ſūmo loco locat et or=
dinat deum vt diligas deum ſuper omnia
Secundo animam ꝓpriam quam dēs poſt
deum diligere·poſt animam tuam animā
ꝓximi tui· Poſt animam ꝓximi tui corpus
tuum· Sed nunquid locandum eſt corpus
meum proximo loco poſt animam meam·
non Sed poſt animam tuam anima ꝓximi
tui et poſt animam proximi tui corpꝰ tuū
Animam enim ſuam plus teneris diligere
ꝙ̄ corpus tuum·Corpus enim tuum tradē
deberes vt animam proximi de morte libe
rares· Poſt corpus tuum corpus proximi ē
diligendum·Poſt corpus proximi tui bona
tua·nam corpus proximi tui plus teneris
diligere rebus tuis·Quomodo· Si aliquis
damnare vellet inocentem teneris euꝫ re
dimere bonis tuis ſi potes anteꝙ̄ permit
tas inocentem condemnari· Vides ergo o
ſponſa ſancta in templo cordis tui ſedentē
ſuper ſolium excelſum ⁊ eleuatum queꝫ di
ligit anima tua· nunquid ſufficit tibi· non·
ſed adhuc eum altius videre deſidero·q̄n=
diu enim non expleui tempus planctꝰ·q̄n=
diu triſtis ſum de peccatis nec ſecura de di
uiſione eorum·tamdiu video eum vt regē
et ſicut iudicem· ſicut dominum·ſicut ⁊ yſai
as vidiſſe ſe dicit·Dominum exercituum o=
culis meis vidi q̄ndiu inꝙ̄ ſic video tādiu
timeo potentiam ſūmi regis iudicium iuſti
iudicis excellentiam tanti domini·¶ D
¶ Appeto ergo eum videre tranſfiguratū
Quomodo vt quem nunc video ī forma re
gis et iudicis et domini tranſfiguretur co=
ram oculis anime mee vt videam eum in
forma dilecti·ī forma familiaris amici ī for
ma ſpōſi·nā vt ait Bern·adeſt dilectꝰ amo
uetᷣ magiſteriū·dignitas exuitᷣ· rerū diſpa
ret·reuerētia poſtponitur ·cedit quippe fa
ſtus vbi inualeſcit affectus· Faſtus enī id
eſt excellentia vel maioritas quia dilectō
vel inuenit pares vel facit pares ·Ergo ſi
tranſfiguratum eum cupis roga petrum io
hannem et iacobum vt te ſecum ducunt ī
montem vbi dominum tuum videas ītrāſ
figuratum·legitur enim Mathei xvij· ⁊ Lu
ce ix·Qd̄ iheſus aſſumptis petro iacobo et
iohanne aſcendit in montem et tranſfigu
ratus eſt ante eos et reſplēduit facies eiꝰ
ſicut ſol veſtimenta eius fuerūt alba ſicut
nix· Et reſpondens petrꝰ dixit·Domine bo
num eſt nos hic eſſe·Si ergo vis dominū
de rege in dilectum mutatum videre aſcen
de in montem· id eſt in eminentiam virtu
tum·q̄ndiu enim parua es in virtutibus n̄
videbis eum vt dilectum vt familiarem vt
ſponſum cum quo familiariter loquaris et
familiariter delecteris·Aſcende ergo ad ꝑ
fectōnem virtutum ⁊ videbis· Virtutes ꝑ
fecte ſunt ſequi conſilia diligere non ſoluꝫ
amicos ſed etiam inimicos· Diligere deum
ꝓpter deum·non deum ꝓpter cōmodum ꝓ=
prium ⁊ mlta alia·Poſtꝙ̄ ergo eminentiā
virtutum aſcenderis roga eum vt tibi ap=
pareat tranſfiguratꝰ· Quomodo hactenꝰ
apparuiſti mihi domine ī ſpecie regis ⁊ iu=
dicis quia iudicium ⁊ potentiā expaui trāſ
figura te et apparere mihi in ſpecie dilecti
amici·hactenus oſtendiſti mihi vultuꝫ tur
bulentum cum de peccatis meis timui trāſ
figura te et apparere mihi et oſtende vul=
tum ſerenum ſicut oſtendiſti petro ⁊ ſociis
ſuis cum reſplenduit facies ſua ſicut ſol·ha
ctenus fuiſti mihi extraneus trāſfigura te
vt familiaris fias·hactenꝰ terruiſti me tīſ
figura te et conſolare me·hactenus cū ve=
nires ad animam meam ferebas tecū ſpi=
ritualem amaritudinem tranſfigura te vt
feras ſpiritualem dulcedinem·Quando āt
anima ſic eum tranſfiguratum viderit di=
cet illud quod dixit petrus domino·domīe
bonum eſt nos hic eſſe·quaſi diceret· Bo=
num eſt perſeuerare in tua dulcedine in cō
ſolacōne ſpirituali·vnde ſi vis faciamꝰ hic
tria tabernacula vnum patri ſecundum fi=
lio·tercium ſpirituiſancto· Tres enim ſunt
tres partes anime non integrales ſed po=
tentiales·ſcilicet vis ·iraſcibilis racōnalis·
concupiſcibilis·Faciamus patri in iraſcibili
filio in racōnali·Spirituiſancto in concu=
piſcibili· ¶ E ¶ Quando ergo anima ſpon=
ſum ſuum non in forma regis et iudicis ſed
in forma dilecti aſpexerit tunc non ſolum
ſufficit ſibi vt videat niſi etiam apprehen=
dat· vnde ſequitur poſt verba predicta· te
nui eum nec dimittam·Tunc enim incipit
luctari cum eo ſicut luctabatur iacob cum
eo Geneſis triceſimotercō· Ibi enim dicitᷣ
ꝙ traductis omnibus poſt vadum Iacob
ſolus remanſit et ecce vir luctabatur cum
eo vſqꝫ mane· Per luctum iacob cum ange
lo ſigficatᷣ lucta aīe cū deo· qd̄ ei luctetᷣ cū
deo ait ſapiēs Ecc·vlt· aīa mea luctata ē cū

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-v-105/0471
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt